



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Dialecticam, siue Scientiam de Veritate, in decem libros
distributam

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

III. Propositionis diuisio in necessariam, contingentem, & impossibilem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95210](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95210)

dicendum est, eum loqui de sola propositione directa, vbi docet prædicatum semper latius patere, quam subiectum, aut nunquam esse angustius; cumque ait non prædicari speciem de genere, aut indiuiduum de specie, vel eodem modo eum interpretandum esse; vel secundo, id, quod ait, non absolute sumendum esse, sed cum additamento, & conditione quadam, nimirum, si sumatur ex parte subiecti genus copulatiue, & in tota sua latitudine; & species similiter, quoties indiuiduo subiicitur; quæ ratione certum est, nec speciem de genere, aut indiuiduum de specie, id est, nec hominem de animali, nec Petrum de homine prædicari posse ex vero: quod autem hæc sit Damasceni mens, colligi potest li- quidissima ratione ex sequentibus eius verbis, quibus exemplum præbet eorum, quæ dixerat, *Prædicatur igitur substantia de animali, & animal de homine, etenim animal substantia est, & homo animal est; non conuertitur autem; omnis enim homo animal est, non omne autem animal homo; Et equus enim, & canis animalia: sane similiter, & omne animal substantia est, non omnis autem substantia animal est, lapis enim, & lignum substantia est, quæ non sunt animalia.* Et paulò infra; *Petrus igitur homo est, & Paulus homo est, non omnis autem homo Petrus, vel Paulus est: sunt enim, & alia hypostases sub specie hominis.*

Ad Porphyrium similiter dicendum est, eum loqui de sola propositione directa, vbi negat minora de maioribus, aut hominem de animali prædicari, eiusque sensum esse, non, quod tale genus prædicationis locum non habeat in mente, sed, quod nullibi directe, & congruè hoc autem non obstat ei priori: quot enim propositiones falsæ sunt in intellectu, & tamen nulla earum est directa, & congrua, sed potius rectitudine veritatis destituta. Secundo exponi potest locus Porphyrij, quemadmodum & prior Damasceni; quasi sicut hic, ita etiam ille tantum doceat, hominem de animali, aut minus vllum de maiori non posse prædicari, si animal, aliæ ratio maior, siue superior locum obtinens subiecti sumatur in tota sua amplitudine, ac per particulam, *omne*, distribuatur. Vtramque interpretationem compendio tradunt nostri Conimbricenses, ac super eum Porphyrij textum nobis obiectum sic aiunt, littera M. intellige prædicationem directam; & de toto subiecto; alias species indirectè affirmatur de genere, & grammaticum de homine; sed non de toto. Eundem fermè in modum, aliumvè certè, fortassis exponi posset Sotus: quid tamen senserit, parum nobis est laborandum.

Ad tertium argumentum dicendum est, superius esse quodammodo formam inferioris in essendo, pro eo, ac censuit Aristoteles: nam sicut subiectum physicum, & proprium habet formam, ita quod inferius est, habet rationem superiorem, videlicet homo animal, Petrus hominem: cæterum in prædicando posse aliquando ordinem inuerti, ac mutari, nimirum si ratio superior subiiciatur inferiori, & affirmetur, eam habere secum identificatam: neque verò mirum esse, si ratio superior modo sit forma inferioris, & modo hæc illius è conuerso forma: tum, quia forma, quæ de alterutra respectu alterius dicitur, non est propriè talis; ita enim duas res esse sibi mutuo formas nunquam non repugnat, sed improprie, & secundum quid; tum etiam, quia, ut iam iam visum, ne ea ipsa ratio formæ conuenit vtrique nisi aliter, & aliter nimirum gradui superiori, prout habetur, & includitur, circumscripta quauis prædicatione, ab inferiori; huic verò, prout enuntiat de superiori.

P. Lyncei Philosophia Tom. I.

Ad vltimum argumentum respondeo, propositionem illam mentalem, & indirectam, *animal est homo*, nequaquam æquivalere huic, *omne animal est homo*, sed potius huic, *aliquod animal est homo*, adeoque veram esse posse. Regula autem quæ probatur prior illa æquivalentia à nobis negata, videlicet, propositio indefinita in materia necessaria æquiualeat vniuersali, tantum habet locum in propositionibus directis: quod si sermo sit de indirectis, eis potius conuenit ea regula dialæctica hæc minus vñtata, subiecta talia sunt, qualia permittuntur à prædicatis: ita enim cum se res habeat, quid mirum, si animal subiectum homini in prædicatione mentali indirecta non sit æquiualeuter, ac virtualiter omne animal, sed aliquod, pro eo, ac hominis natura, & minor, quam animalis amplitudo permittit? Quo posterior eius propositionis controuersæ æquivalentia à nobis tradita manet satis, cumulateque probata.

C A P V T III.

Propositionis diuisio in necessariam, contingentem, & impossibilem.

Propositio necessaria ea est, cuius subiectum necessario connectitur cum prædicato, eo quidem nexu, qui nunquam permittat propositionem esse falsam. Atque hinc constat, prædicationem istam, Petrus currit, etiam si fortè sit essentialiter vera, propterea, quod omnis veritas, ut putant aliqui, sit essentialis actui vero, aut propterea, quod sit supernaturalis, & à Deo inspirata, nihilominus haud dici necessariam, quoniam, non nexus subiecti cum prædicato, sed modus peculiaris representandi, ac specialis eius perfectio obstat, ne possit vnquam esse falsa: Vnde circa idem subiectum & prædicatum, si Petrus videlicet non curreret, esse posset alia propositio falsitati obnoxia. Cæterum hæc prædicatione, homo est animal, est necessaria, quoniam subiectum eius, & prædicatum ea se necessitate respiciunt, & vniuntur inuicem, ut, nec illam, nec aliam circa se vllam permittant esse falsam. Propositio contingens est: cuius subiectum contingentem connectitur cum illius prædicato, eoque certè vinculo, quod velleam ipsam propositionem, si veritas genere suo non est essentialis actui vero, patiatur esse falsam, vel certè aliam circa idem obiectum: exemplum eius iam iam traditum est in prædicatione cursum affirmante Petri. Propositio impossibilis, quæ à Soto quæst. 5. prædicab. & alij multis vocatur disparata est, cuius subiectum non habet connexionem vllam necessariam, seu contingentem cum prædicato, sed potius repugnantiam vinci prorsus nesciam: exemplum eius esto, Petrus est lapis.

Quamuis autem aliqui confundant hanc trimembrem diuisionem, quoad duas priores eius partes cum diuisione bimembri cap. superiori tradita, ac nihil interesse putent inter propositionem essentialem, & necessariam, atque accidentalem, & contingentem: cæterum eos admodum falli reor: hæc enim propositio, *homo est risibilis*, nullatenus dicitur contingens, sed absolute necessaria: risibilitas siquidem est proprietas quarto modo, adeoque nequit prædicari nisi in quale necessariò: & tamen eiusmodi propositio non est omnino essentialis, sed logicè saltem accidentalis: haud ergo in idem recidunt, propositionem aliquam esse accidentalem, & contingentem

Vterius hæc propositio, *essentia Petri est à Deo cognita*, est necessaria, ut vero verius, & tamen non est essentialis, cum cognitio Dei nullatenus sit essentialis Petro: non igitur perinde est, aliquam propositionem esse necessariam, & essentialem.

20

Porro grauis est difficultas circa hanc diuisionem an nimirum propositiones de subiecto complexo, seu coniuncto; cuiusmodi sunt hæc, homo albus est rationalis, homo currens mouetur, aliæque similes, sint necessariae: Affirmant B. Thomas 3. part. quæst. 2. art. 3. & in 3. dist. 7. quæst. 1. art. 1. & 4. contra gentes cap. 37. & 49. Ferrariensis, Caietanus, & plerique alij Thomistæ. Item Marsilius, Aletius, Richardus, Bonauentura, Carthusianus, Albertus, Conimbricenses, Rubius, Baltasar Tellez, 1. parte sum. disp. 12. sect. 2. num. 14. Negant verò Scotus in 3. dist. 3. quæst. 1. & dist. 22. quæst. 1. Bassolis, Lichetus, & communiter ceteri Scotistæ. Præterea Ochamus, Maior alique non pauci Nominales: Quin etiam aliqui è schola diui Thomæ, veluti Capreolus in 3. distinct. 3. quæst. vnica art. 3. Soncinas 9. metaph. quæst. 5.

21

Prior sententia eorum, qui affirmant, nobis magis arridet, & probari potest hunc in modum: partes cuiuscunque rei, præsertim si sint ab ea realiter distinctæ, sunt de illius essentia; at humanitas, & albedo sunt partes hominis albi constitutiua, ab eoque nequitiam realiter distinctæ; potissimum, cum homo albus non sit totum substantiale, aut per se, de cuius solius distinctione reali à partibus suis esse potest aliqua dubitatio, sed tantum per accidens, alterutra ergo est de essentia hominis albi: siue ergo vna de illo prædicetur, talem in modum, homo albus est albus, siue alia, hoc pacto, homo albus est homo, vtralibet prædicatio quantumvis de subiecto coniuncto erit essentialis, adeoque necessaria: omnis enim propositio essentialis, eo ipso est necessaria, licet non econuerso, ut paulò superius visum: quod si eiusmodi propositiones sint necessariae, & non contingentes, de ceteris nullus potest esse dubitandi locus: aut enim alia sunt de subiecto complexente duos terminos essentialiter connexos, & inuicem inclusos, veluti animal rationale est animal, animal rugibile est leo: & has esse necessarias, nullus negat, aut potest nec de eis est præsens quæstio: aut aliæ sunt de subiecto cohibente duos terminos inuicem separabiles, & essentiali connexionione destitutos; & harum, cuiuscunque modi sint, par est ratio, atque earum, quas iam probauimus esse necessarias.

22

Secundo probatur eadem opinio: homo albus, nec esse nec concipi potest absque eo, quod sit homo, aut sine eo, quod sit albus: respicit igitur essentialiter tam hominem, quam album: non autem velut terminos extrinsecos, sicut pater v.g. filium, & hic patrem, ut est luce clarius: ergo velut quædam intrinseca, & essentialia constitutiua sui: seu igitur dicas, homo albus est homo, seu, homo albus est albus, alterutra propositio erit essentialis, adeoque necessaria, & non contingens. Par autem est conditio ut iam vidimus, aliarum omnium, quæ habent complexionem aliquam contingentem ex parte subiecti, & quæ solæ sunt in controuersia posita. Tertiò; quando totum aliquod prædicatur essentialiter, & necessario singulas eius partes eadem necessitate, & ratione prædicari oportet, ut præter alios disputat B. Thomas in 3. dist. 10. quæst. 1. art. 2. & sponte sua liquet: nam si qua pars totius prædicetur contingenter, etiam si altera dicatur necessario, tota prædicatio erit eo ipso contingens, & non necessaria, propter id, quod, ut est in veteri paræmia, denominatio sequi-

tur debiliorem partem. Sed de homine albo prædicatur essentialiter, & necessario homo itidem albus, huius ergo totius alterutra pars, homo, nimirum, &, albus, prædicabitur de eo essentialiter, ac necessario, hunc in modum, homo albus est homo, & in hunc, homo albus est albus, ac proinde, harum propositionum ritu, quæuis aliæ similes erunt suapte natura necessariae, & contingentes. Maior huius argumentationis vna proposita est, atque probata; quare minor illius probatur hoc pacto: omnis propositio identica, in qua videlicet idem de eodem, eodem etiam modo conceptum enuntiatur, est essentialis iuxta omnes: sed hæc propositio, homo albus est homo albus, est identica: ergo essentialis & necessaria, atque adeo totum illud, homo albus, est prædicatum essentialiter, ac necessarium respectu hominis albi, id est sui: Deinde; nequit non prædicari essentialiter, & necessario de homine albo, quod sit affectus qualitate disgregatiua visus: hæc enim est illius definitio: omnis autem definitio est essentialis, & necessaria definitio, at in idem prorsus recidunt, esse hominem album, & esse hominem affectum qualitate disgregatiua visus: sicut ergo posterius hoc, ita etiam prius illud totum, siue complexum, de quo est sermo prædicatur essentialiter, & necessario de homine albo, sicut ad singularum eius partium hominis videlicet seorsim, & albi prædicationem essentialem, ac necessariam oportet.

23

Alij probant nostram sententiam ita: hæc propositio, *Christus est, siue existit*, est perpetuæ veritatis, ac necessaria: ut patet ex Paulo ad Hebræos 13. *Iesus Christus heri & hodie ipse & in secula*, & Ioan. 8. cap. vbi Christus ita Iudæos alloquitur *Amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum*: & tamen eius propositionis subiectum inuoluit complexionem quandam contingentem ex natura humana, & diuina: quantumvis ergo huius propositionis, homo albus est homo, subiectum sit terminus contingentis complexus, nihilominus ea erit necessaria, & essentialis. Parum tamen præsidij esse arbitror in hac ratione; tum, quia, si cuius esset momenti, probaret eodem modo hanc propositionem, homo albus est, siue existit, esse necessariam, & essentialem, quod nemo admittit: tum etiam, quia propositio illa prior ex scripturis eruta idcirco est vera, quia supponit pro solo supposito diuino, de cuius essentia est existere: Cæterum, si ut fieri potest, pro toto subiecto suo supponat, haud est necessaria, & sempiternæ veritatis: quin potius ita sumpta procul dubio falsa fuit, ante natiuitatem Christi Domini: peperam ergo ab ea arguitur ad veritatem essentialem, & necessariam propositionis de subiecto contingentis complexo, pro eoque toto supponentis.

24

Cæterum pro posteriori sententia negante necessitatem de subiecto per accidens, & non per se coniuncto, earumque potius contingentiam afferente, nec pauca, nec leuia sunt argumenta. Primum est huiusmodi: ut aliqua propositio sit falsa, satis est, ut aliqua eius copula falsa sit: quare hæc est omnino falsa, & nullatenus vera, Petrus currit, & Paulus currit, hoc solo non currente, & illo currente, propter vnus tantum copulæ, scilicet secundæ falsitatem: ut ergo propositio aliqua sit contingens, & sin minus falsa, at certè falsitatis periculo exposita, satis erit, si altera eius copula sit contingens: huius autem propositionis, homo albus est homo, tametsi copula vna, nimirum ea, quæ per verbum, *est*, exprimitur, haud sit contingens: cæterum altera latet ex parte subiecti, & est contingens; siquidem subiectum illud, homo albus perinde est, ac homo, cui inest albedo

albedo, siue qui est affectus albedine, vt ex ipsis terminis absque alia probatione liquet, adeoque copulam habet latentem, & non expressam, eamque contingentem, cum albedo homini non necessariò, sed per accidens insit; iam ex eo propositio illa, homo albus est homo, & quæuis alia eiusdem genij, erit omnino contingens, & non necessaria.

25 Caietanus apud nostros Conimbricenses in cap. 4. de orat. quæst. 4. art. 6. vt huic argumento respondeat, aliquantulum desciscit, à sententia Beati Thomæ; & vera: eius enim est opinio propositionem illam, homo albus est albus, aliamvè quamuis similem bifariam sumi posse: primò, vt præter copulam expressam, & essentialiter, aliam tacitam, & contingentem ex parte subiecti inuoluat, vi cuius de homine v.g. prius affirmet, quod sit albus, quam de homine albo, quod sit homo; atque ita eam esse omnino contingentem, & minimè necessariam: Secundò, vt nullam eiusmodi copulam contingentem, & occultam concernat ex parte subiecti, & sic eam nullatenus esse contingentem, sed omnino essentialiter, ac necessariam. Cæterum duplicem hanc acceptionem hominis albi meritò reiciunt nostri Conimbricenses vbi supra: in primis, quia communi vsui, & acceptioni vtrumque est contraria: Deinde, quia cum dicitur, homo albus est homo albus, aut cum, homo albus est homo affectus qualitate disgregatiua visus, subiectum est homo albus, quin propterea ex parte illius vlla sit copula contingens, vt superius visum, & vel ipsis aduersariis est in confesso, similiter ergo in præfenti, &c. Tertiò, hæc propositio, homo albus est homo, est propositio simplex, & non complexa, vt per se patet: alioqui omnis ferme propositio dicenda erit complexa: vix enim est aliqua, cuius subiectum terminos non comprehendat etiam separabiles, & contingentem vnitos inuicem: proinde, si hoc sufficit ad copulam quandam latentem adstruendam ex parte subiecti, ea tantum non vbiq. debet adstrui, sicut ad tollendas de medio propositiones omnes complexas oportet. Quid simplicius hac propositione, *album est dulce*? at iuxta aduersarios erit hæc, *subiectum est album*, & *idem est dulce*, adeoque complexa. Quid hac, *homo existit*; at secundum eosdem erit hæc, *corpus est unitum*, seu *coniunctum animæ rationali*, & totum hoc compositum, siue, quod perinde est, *homo existit*; atque adeo complexa etiam.

26 Satiùs ergo est negare copulam illam contingentem ex parte subiecti, cum dicitur v.g. homo, albus est homo aut quidpiam simile. Quod autè opponitur parum, aut potius nihil esse inter has duas prædicationes, nimirum, *homo albus est homo*, ac, *homo cui inest albedo siue qui est affectus albedine est homo*, adeoque vt in secunda, sic etiam in prima, præter copulam essentialiter, aliam reperiri contingentem, nullius est momenti. Nam posterior illa prædicatio, vel habet hunc sensum, *homo, si ei inest albedo, aut si est albedine affectus, nihilominus est homo*; & ita transeat ei æquiuale re primam illam propositionem, de qua præsens lis: at propterea nullam copulam contingentem inuoluat, ratione cuius dici possit absolute non necessaria, nam particula illa conditionalis, *si ei inest albedo*, aut, *si est affectus albedine*, quam vltro damus æquiuale re, ac tacite ei subesse, non exprimit copulam enunciatiuam, sed tantum apprehensiuam, adeoque veritatis, & falsitatis saltem perfectæ expertem, & ad neutram vlla contingentia, aut indifferentia præditam: vel habet ea propositio hunc potius sensum, *homo est affectus albedine, & est homo*, atque ita copulam habet contin-

gentem; cæterum ei sic sumptæ haud æquiuale re, quæ vertitur in quæstionem. Secundò negari potest omnino æquiuale re duarum illarum propositionum, ac responderi, priorem earum æquipollere potius huic, homo affectus albedine est homo, quin affici albedine affirmetur vllatenus de homine, aut velut conditio quædam, siue hypothesis supponatur ante copulam principalem.

27 Secundum argumentum aduersariorum sic habet, hæc propositio, *homo irrationalis est homo*, falsa prò ut est: at non, quod hominem de subiecto prædicet; cum enim subiectum includat intimè, & essentialiter hominem, in huius de illo prædicatione, quæ potest esse falsitas? ergo quod alteram subiecti partem de altera, videlicet irrationalitatem de homine enunciet: quemadmodum igitur copula aliqua impossibilis laret in prædicta propositione subiecto tenus, eam totam reddens falsam, similiter latebit quædam copula contingens in hac, *homo albus est homo*, ex parte solius subiecti, & nihilominus totam propositionem periculo falsitatis exponens.

28 Nonnulli respondent, eam propositionem, *homo irrationalis est homo*, esse veram, & non falsam: haud enim esse posse falsam, quod de homine irrationali hominem prædicet, ob rationem in argumento factam: haud etiam ob coniunctionem irrationalis cum homine ex parte subiecti, cum sit non enunciatiua, sed apprehensiuæ, omnis autem apprehensio sit falsitatis expers, & ei neutiquam obnoxia. Contra tamen, quia simili ratione oportebit has propositiones, alius Deus est Deus, Deus non trinus, & vnus est Deus, quarta persona diuina est persona diuina, & alias id genus esse veras: quas tamen hæreses esse constat. Rursus eius propositionis, *homo irrationalis est homo* eadem est ratio, quæ huius, *si daretur homo irrationalis, esset homo*, quemadmodum hæc, Gabriel Angelus est Angelus, si daretur Gabriel Angelus, esset Angelus, paræ sunt conditionis, & eandem veritatis, ac falsitatis aleam subeunt: at conditionalem illam si daretur *homo irrationalis, esset homo*, ostendemus falsam esse lib. 10. contra iuniores hos: idem ergò censendum de absoluta, quæ obijcitur in argumento.

29 Respondent secundò Conimbricenses q. illa 4. art. 5. & 6. eam propositionem, *homo irrationalis est homo*, habere duplicem copulam: alteram impossibilem, & occultam ex parte subiecti, merito cuius dicitur homo irrationalis; alteram haud magis veram, prædicato principali propiorem, qua homo irrationalis esse affirmatur homo: cuius, inquit, ratio est, quoniam duo illi termini se tenentes ex parte subiecti nempe homo, & irrationalis nullatenus possunt efficere vnum per se, vel per accidens: quæ ergo fieri potest, vt sine copula aliqua intentionali omnino distincta ab ea, quæ est præcipua in idem subiectum coalescant? Quæ ratio non procedit in hac propositione, *homo albus est homo*, eius enim subiectum est vnum per accidens, quippe quod duos terminos physica, & accidentali vnione copulatos, hominem scilicet, & albedinem, comprehendit, adeoque non est, quapropter copulam vllam contingentem principali, & per verbum, *est*, expressæ præuiam includat. Contra tamen, quoniam harum propositionum, Petrus, & Paulus currit, Petrus vel carentia Petri existit, ita sunt instituta subiecta, vt eorum alterutrum inuoluat terminos, ex quibus nequit resultare vnum per se, vel per accidens: & tamen neutrum implicat copulam vllam, merito cuius de Petro Paulus, aut de eodem eius affirmetur negatio, seu carentia: similiter ergò in præfenti

presenti &c. Deinde hæc prædicatio, *homo irrationalis est ens rationis*, & quippiam commentitium, nullam inuoluit copulam impossibilem, & falsam ex parte subiecti; aliàs tota ea esset absolute falsa, cum tamen vero verius sit, eam omnis falsitatis expertem esse, atque in Deo falli nescio locum habere: esset autem eiusmodi prædicatio de subiecto copulam impossibilem implicante; adeoque tota falsa, si cuius esset momenti ratio aduersariorum, ut inuenti constabit. Tum etiam; hæc propositio, *ens rationis est, quod habet esse obiectiue tantum in intellectu*, est omnino vera, more cæterarum definitionum, nec minus, quam hæc, *ens reale est, quod habet aptitudinem, ut vere sit in rebus*, aut alia quæuis ut est, & omnibus in confesso, & per se compertum: atqui est de subiecto, complectente terminos in vnum aliquod per se, aut per accidens iungi impotes, ac potius inuicem repugnantes; habet enim instar subiecti, ens rationis; de cuius ratione, & essentia est eiusmodi terminos complecti; quanquam igitur eos cohibeat, subiectum eius propositionis, *homo irrationalis est homo*, non ob id erit illa falsa, aut copula illa impossibili latenter prædita, sed magis omnino vera.

30 Tertio quidam respondent, ens rationis quodlibet constitui essentialiter actu falso, & præter eum, & quæ extrema realia, ac vera, non vere, sed falso copulat, nihil aliud includere: subiectum autem eius propositionis, *homo irrationalis est homo*, esse ens rationis, adeoque inuoluere copulam aliquam impossibilem, ac falsam, quæ totum compositum intentionale, cuius est pars falsitate afficiat. At hanc rationem non procedere in subiecto eius propositionis in præsentia controuersia, nimirum, *homo albus est homo*, ut potè, quod est ens reale, &, non rationis. Verum quidquid sit, an ens rationis constituatur actu falso, vel potius eum extrinsecè, & instar solius obiecti connotet, ac respectet; de quo in Metaphysicis illud in primis displicet, in hac solutione, quod iuxta eam harum propositionum (ut omitam nuper positas, & eandem, vel certe non minorem, hic difficultatem parituras, atque aduersus præcedentem solutionem) harum, inquam, *homo irrationalis est ens rationis constitutum ex homine, & irrationali*, *homo irrationalis est homo irrationalis*, subiecta debeant etiam inuoluere copulam aliquam impossibilem, & essentialiter falsam: sunt enim entia rationis; proinde necessum erit, ambas propositiones esse falsas omnino. At eas esse prorsus veras, est perspicuum: tum, quia utraque reperitur in Deo, in quo nullum actum desideres summè verum: tum, quia altera est definitionis de definito, altera verò identica: quæ autem sunt huiusmodi, nusquam & nunquam non sunt veræ.

31 Insuper; homo irrationalis, dum in præfata propositione subiicitur, haud oportet, ut sit aliquid actu fictum, suouè modo existens, sed satis, superque est, ut fingi possit, & suo modo existere: sic enim de eo postea affirmatur verè, vel certè falso, quod sit homo: haud aliter, atque cum dicitur, *homo rationalis est homo*, subiectum talis propositionis eo ipso non existit reuera, sed satis habet existere posse, quod cuius propositioni sempiternæ veritatis est commune: ergo subiectum illius propositionis prioris in controuersia positæ neutiquam eo ipso implicat copulam aliquam impossibilem, & actualem principali præuiam, aliàs illud non posset non existere quodammodo, & actu fingi; sed tantum in potentia, & non repugnantem, quæ sit obiectum apprehensionis veræ respondentis eis vocibus, *homo*

irrationalis, sicut ipsi obiciuntur extrema realia, quæ simul cum tali copula ficticia ens rationis in potentia constituunt. Quamuis ergo demus vtrò, hominem irrationalem actu falso essentialiter constitui, haud propterea sequitur enunciationem, cuius est subiectum, aliquam copulam actualem falsam includere, sed ad summum aliquam in potentia velut obiectum extrinsecè tueri, sine vlllo maiori veritatis suæ præiudicio, quam, cum Deus eandem cognoscit.

32 Planius ergo, & expeditius respondeo, propositionem illam, *homo irrationalis est homo*, nullam copulam impossibilem actu implicare ex parte subiecti sui formalis, etiamsi eam fortasse respiciat velut subiecti sui obiectiui constitutiuiam, modo superius explicato: falsitatem autem propositionis, exinde oriri, quod prædicetur in ea homo simpliciter, ac vere talis, (qui subintelligitur semper, ubi profertur vox, *homo*, absolute, & sine additamento) de homine irrationali, & chimerico: qua ratione hæc prædicatio, homo pictus est homo, & similes sunt omnino falsæ. Enimvero parum, aut nihil interest, in propositione ab aduersariis obiecta prædicatum includi intimè, & quidditatiue in subiecto, voce tenus: nam reipsa ab eo distat, ut quod maximè veritatis autem norma, ac regula certa est rerum mutuus ordo non vocum similitudo, quæ potius sæpe deludit.

33 Tertium argumentum aduersariorum: si hæc propositio, *homo albus est homo*, foret necessaria, certè nullo homine albo existente, nihilominus esset vera: nam si penderet eius veritas ab hoc euentu, aliove vlllo, non posset non esse contingens, & falsitatis periculo exposita: tum autem non esset vera: conuertitur enim suapte natura per hanc, *aliquis homo est homo albus*, sicut ista, *omnis homo est animal* per hanc, *ergo aliquod animal est homo*, & quælibet vniuersalis affirmatiua per particularem affirmatiuam, iuxta regulam dialecticorum Eua per Acci: at eius conuertens in tali euentu esset falsa, & non vera; ipsa ergo tum veritatis esset expers, siquidem propositio conuertens, & conuersa in veritate recurrunt.

34 Respondeo, propositiones de subiecto per accidens coniuncto debere refingi, & exponi, mutatis quidem vocibus, sed eodem manente sensu, ut in eis locum habeant regulæ conuersionum à Philosopho traditæ; alioqui verò eas conuerti non posse: quare propositio illa, *homo albus est homo*, nequit conuerti per hanc, *aliquis homo est homo albus*, nec mirum, quando homo in conuersa supponit pro possibilibus, & existentibus, nullo eorum facto discrimine, conuertens vero pro solis existentibus, mutata autem suppositione alicuius termini, haud est locus conuersioni: hæc enim est argumentatio quædam, ac discursus ab vna propositione ad aliam; mutata verò suppositione alicuius termini in antecedenti, & consequenti, nihil poterit ritè concludi, veluti si dicas, mus est syllaba: ergo aliquod animal est syllaba. Cæterum propositio illa sic recusa, & explicata per aliam sibi æquivalentem, videlicet hanc, *omnis homo albus est constitutus essentialiter homine*, vel potius in eam quodammodo mutata, potest, ac debet ita conuerti per accidens, *ergo aliquod essentialiter constitutum homine est homo albus*. Secundo respondeo, eam propositionem, *omnis homo albus est homo*, probabiliter conuerti posse per hanc, *ergo aliquis homo est homo albus*: hanc autem posteriorem non minus, quam illam priorem esse veram, nullo homine existente albo: quamuis enim seorsim,

seorsim, ac solitarie sumpta significet ea propositio, hominem aliquem existere hominem album, & & subiecto tenus supponat pro solis hominibus, qui actu sunt, & albedini subsunt: cæterum ex respectu ad eam priorem essentialiter, & prout eius conuertens, ex eaque legitime illata, vendicat sibi aliam significationem, qua tantum denotet, aliquem hominem essentialiter constitutum hominis albi, siue, quod iuxta est, aliquod constitutum essentialiter homine, esse hominem album: hoc verum est, tamen nullus homo albus existat. Neque nouum est, voces, quam se solis significationem non habent, eam aliquandò ex circumstantiis, & adiunctis mutuari.

35 Quartum argumentum aduersariorum est tale: huiusmodi propositiones, *homo albus est homo, homo albus est albus*, si sunt necessariae non poterit hæc, *aliquis homo est albus*, esse contingens: at ista est semper contingens, & falsitati obuia, ergo illæ nequeunt esse necessariae. Maior suadetur: nam et si ex altera præmissa contingenti, & altera necessaria deduci possit conclusio contingens, secus tamen ex duabus necessariis; aliqui cur conclusio demonstratiua non sit contingens, & calumniæ exposita, non obstante quauis præmissarum necessitate? Sed ea propositio de subiecto simplici, *aliquis homo est albus*, est conclusio facta ex præfatis propositionibus de subiecto coniuncto, videlicet in modo Darapti sic, omnis homo albus est homo, omnis homo albus est albus: ergo aliquis homo est albus: ubi ergo huius syllogismi præmissæ sint necessariae, nequit propositio conclusa esse contingens.

36 Respondeo primo, propositiones de subiecto coniuncto haud esse aptas ad eiusmodi modum syllogisticum, nisi versas in alias, quæ eundem quidem sensum, sed aliter, ac pro vt est essentialis, vi sua exprimant; ita autem in eo concludere v.g. hoc pacto omnis homo albus est constitutus essentialiter homine, omnis homo est albus est constitutus essentialiter albo, siue albedine: ergo aliquid constitutum homine est constitutum albedine, siue ergo aliquid, quod est homo, est album. Respondeo secundo, propositionem illam, *aliquis homo est albus*, si significet aliquem hominem actu existere, & albedini subesse, contingentem esse; cæterum ita non inferri ex præmissis superioribus in Darapti: Ex eo enim, quod homo albus includat essentialiter, tum hominem, tum etiam album, quis colligat propterea horum vnum necessario includere alterum? At verò si significet ea propositio, hominem esse constitutum eiusdem, quod constituit albus, siue, esse aliquid, quod est album, ita quidem erit necessaria: quamuis autem solitarie sumpta habeat semper priorem significationem, cæterum posteriorem admittit, prout deriuata ex præmissis illis in Darapti, & cum eis coniuncta: sicut enim fontem suum vicina imitatur vnda, eiusque naturam, & qualitatem trahit, haud prius positura, quam longo distet intervallo, & multa terrarum spatia sit itineribus ementa perpetuis; ita quæ conclusio est ex aliquibus deducta principiis, eorum sensum essentialem, aut contingentem sapit, nec, nisi ab eis seiuncta dediscit.

37 Quintum argumentum: propositiones de prædicato coniuncto per accidens, & subiecto simplici, veluti Petrus est homo albus, homo est animal currens sunt contingentes, vt nemo nostrum non fateatur, cum B. Thoma in 3. dist. 10. q. 1. art. 2. cur non ergo tales sint viceuersa propositiones de subiecto per accidens coniuncto, & prædicato simplici?

Respondeo, sicut non dicitur aliqua substantia corruptibilis, aut incorruptibilis, necessaria, aut contingens ratione materiae, alias nulla non esset immortalis, & necessaria, cum nullius in materia non sit immortalitate prædita, sed ratione formæ, aut secundum se, vel prout vnitur, & munus formæ exercet: qua de causa omnis substantia corporea sub-lunaris est corruptioni obnoxia; cuiusvis enim forma, aut certe vnio ei subditur, ita similiter contingencia propositionis, aut necessitas haud est metienda ex subiecto, siue materia, sed ex prædicato, quod solum formæ pondus, & instar habet; proinde nil mirum, si nulla subiecti ratione habita, quando prædicatum est coniunctum per accidens, & continet terminos tum sibi inuicem, tum etiam, quod consequens est, subiecto contingentes, eo ipso tota prædicatio contingentiam subeat, secus vero, si prædicatum sit necessarium, & à subiecto destinatè petatur. Non nego, subiectum propositionis, si secundum se foret contingens, reiecturum contingentiam eiusmodi in totam propositionem, haud aliter, ac, si materia prima posset naturaliter destrui, aut corrumpi, totum proculdubio compositum corruptibile denominaret. Cæterum quemadmodum materia prima nequit esse contingens, ita subiectum quantumuis complexum per accidens nequit esse cōtingens, prout est præcisè subiectum, sed solum quatenus contingenter respicit prædicatum: quamobrem, vt dictum, sicut materiae, sic etiam subiecti intentionalis nulla est habenda ratio, quando de propositionis contingentia, aut necessitate, instituitur quæstio.

38 Sextum argumentum; hæc præpositiones, *Ethiops albus currit, coruus albus crocit, cygnus niger concinit*, semper sunt falsæ, vt est luce clarius: at non propterea, quod prædicatum reipsa non conueniat subiecto, conuenit enim multoties, cum sæpe sæpius contingat *Ethiopem currere, coruum crocitare, & cygnum concinere*; ergo propter id, quod vna pars subiecti triplicis non conueniat alteri, & quod, nec *Ethiops*, nec *coruus* sit albus, nec *cygnus niger*: latet ergo in qualibet earum trium propositionum aliqua copula contingens ex parte solius subiecti, per quam vna huius pars enunciat de altera: similis ergo copula contingens reperitur ex parte subiecti in hac, omnis homo albus est homo, adeoque totam istam propositionem reddit contingentiam obnoxiam.

39 Respondeo, eas propositiones esse falsas, non, quod in illis vna pars subiecti de altera, cui non conuenit, affirmetur, sed potius defectu conuenientiae inter subiectum adæquatum, & eius prædicatum principale: nam subiectum primæ est *Ethiops albus*, huic autem non conuenit currere, vt enim currat, opus est, vt existat, nullus autem *Ethiops* simpliciter albus existit. Idem dicendum est de aliis duabus propositionibus, si in eis sermo sit de albedine, & nigredine supernaturali quoad modum vnionis saltem, per quas ita sumptas *coruus albus, & cygnus niger* esse possunt, esto actu non sint tales: sin autem sensus earum propositionum est hic, *coruus naturaliter albus crocit, cygnus naturaliter niger concinit*, alterutra illarum prædicat de subiecto chymærico ens reale aliquod, ac proinde sunt falsæ, eodem iure quo hæc, homo irrationalis est homo, de qua paulo supra. At quid dicendum de hac, *coruus supernaturaliter albus est animal*? Haud enim est falsa, quod prædicatum existentiam importet, quodve, vt coruus eiusmodi sit animal, opus sit ei existere: haud etiā propterea quod subiectum sit

fit ens rationis, cum tamen prædicatum sit ens reale: Respondeo, eam propositionem esse veram: sensus enim eius est conditionatus, saltem æquiualeuter, aut certe possibilis; & perinde est ea tota; atque hæc, coruus, si est supernaturaliter albus, est animal; aut perinde, atque ista, coruus potens supernaturaliter esse albus est animal. Nec mirum, quando etiam prædicatum principale eodem modo dicitur de subiecto, & non tam adstruitur, quod coruus ille absolute existat animal, quam, quod sub conditione, etsi vllatenus existit in rem natura, vel certe, quod possit esse animal.

40

Septimum argumentum: idcirco propositiones in superiori obiectæ argumento sunt falsæ, quia sunt de subiecto non supponente, sed etiam talis est hæc, homo albus est homo, si forte non existat, vt fieri potest, vllus homo albus in rerum natura, ergo, &c. Nego minorem: haud enim supponitur in hac propositione vi copulæ principalis, atque respectus ad prædicatum potissimum, quod existat homo albus: supponitur autem vi præcipuæ copulæ in propositionibus superioris argumenti, quod Æthiops albus, coruus itidem albus, cygnus niger absolute existant: hæc igitur erunt de subiecto non supponente, id est non se habente quemadmodum supponitur vi copulæ principalis, secus vero ea, de qua est præsens controuersia. Quocirca non placeat, quod innuit Rubius libr. 1. periherm. cap. 2. quæst. 5. perinde esse propositionem aliquam esse de subiecto non supponente, atque eam esse de subiecto non existente in rerum natura: hoc enim haud verum est, nisi quando copula præcipua talem existentiam exigit, ac supponit in subiecto, ad hoc vt tota propositio sit vera. Nec fortè aliud vult hic author, & alij plures, qui eodem loquuntur modo.

41

Postremum argumentum aduersariorum: concretum per accidens, quale est homo albus, haud potest definiri, haud habet essentiam propriam: nequit igitur de illo homo, aut albus essentialiter prædicari: qui ergo hæc prædicatio *homo albus est homo*, aut hæc *homo albus est homo*, dicitur à nobis essentialis, seu necessaria? Respondeo lib. 9. tract. 2. c. 3. latè ostensum iri aduersus quosdam Thomistas, & non paucos Scotistas, concretum per accidens essentia præditum esse, & definitionis non incapax. Deinde contrarium disputandi gratia largior; quid inde? sanè partes torius per accidens, cum sint entia per se, definitionis erunt capaces, & essentia præditæ: earum ergo beneficio totum habebit, si non vnā duntaxat essentiam, ac definitionem, at certè plures: hoc autem sufficit, vt aliquid de eo per prædicationem essentialē dicatur. Rursus prædicatio, de qua est quæstio, non sit essentialis defectu subiecti definibilis, & essentialis capax; at cur non sit necessaria, propter inseparabilitatem subiecti à prædicato, & necessitatem veluti fatalem, qua illud respicit, & includit?

CAPVT IV.

Diuisio propositionis in finitam, & infinitam, atque priuatiam.

42

DE quibus Aristoteles lib. 2. de interp. cap. 1. & Boetius, Albertus, B. Thom. Alexand. Niphus, & alij interpretes: Eorum ego doctrinam, quæ fuerint magis senticosa, prætermisiss, in claritatem, ac breuitatem redigam, Propositio finita est, quæ

termino aliquo finito constat: infinita, quæ infinito: priuatiua, quæ priuatiuo. Terminus autem finitus est, qui absoluitur à particula negatiua, non, aliave simili, vt homo, aut sapiens: Infinitus est, qui eiusmodi particula negatiua sibi proposita gaudet, veluti non homo, aut non sapiens. Ratio vtriusque vocabuli est, quia cum homo, v.g. seorsim sumptus destinata ac finitam significationem habeat, adiectione illa fertur latissime extra suam speciem, & dempto ipso homine cæteris omnibus conuenit, ac de iis prædicatur: ecquid enim præter hominem est, quod non sit non homo. Aristoteles autem priorem terminum nomen, & posteriorem nomen nominatum appellandum censet. Terminus priuatiuus est, vbi particula inficialis haud separatur ab eo, quod afficit, sed potius in idem cum eo nomen coalescit, veluti insipiens, aut humanus.

43

Huiusmodi autem terminus postremo loco explicatus differt ab infinito, quod hic habeat infinitam amplitudinem, & extensionem ad omne aliud, præter id, cui adiacet particula infinitans: nam omne quod non est simpliciter ens, v.g. est simpliciter non ens: & omne quod non est homo, est non homo. Cæterum hæc infinita amplitudo, & extensio non congruit termino priuatiuo, haud enim omne, quod non est humanitate præditum, est inhumanum, & crudele, cum lapis v.g. non sit sapiens, nec tamen insipiens; idemque, nec sit humanus, nec tamen propterea inhumanus: cuius ratio est, quoniam insipientia, & inhumanitas important carentiam sapientiæ, & humanitatis in subiecto capax: at hæc capacitas lapidi deest. Dissidet etiam terminus priuatiuus à finito strictissime sumpto, quod hic sumatur pro sola repositiua, secus verò ille: cæterum, si usurpetur terminus finitus propriè quidem, etsi non quantum iamiam, videlicet prout est è regione nominis infiniti, & ab hoc distinctus, ita sanè terminus priuatiuus erit species quædam illius, cum ne hic sit infinitus. Proinde diuisio propositionis in finitam, finitam & priuatiam bene habet, si propositio finita sumatur strictissime, ad instar termini finiti, à quo denominatur: cæterum, si strictè quidem, sed paulo minus, quam iuprà, sumatur, ea diuisio est accipienda velut pingui minerua à dialecticis tradita, atque, vt exacta sit, ita restringenda: propositio alia est finita alia infinita: Rursus finita, alia est positiua, alia priuatiua.

44

His constitutis id superest explicandum, quoniam modo prædictæ propositiones se mutuo inferant. Inprimis ergo propositio affirmans infinitam, & affirmans priuatiam inferunt negantem finitam, veluti, *homo est non sapiens, ergo homo non est sapiens*; item, *homo est insipiens, ergo non est sapiens*. Econtrario etiam finita negans rectè inferit affirmantem infinitam, veluti, *homo non est sapiens, ergo homo non est sapiens*; secus tamen affirmantem priuatiam: haud enim valet ratione formæ; *homo non est sapiens, ergo est insipiens*, cum lapis non sit sapiens, non tamen sit insipiens. Propterea, affirmans finita rectè inferit negantem, tum infinitam, tum priuatiam: valet enim, *homo est sapiens, ergo homo non est non sapiens*, & *ergo homo non est insipiens*: E diuerso etiā infinita negas optimè inferit affirmantem finitam, vt *homo non est non sapiens, ergo sapiens*; quam tamen neutiquam inferit priuatiam negans; haud enim sequitur ratione formæ, *homo non est insipiens, ergo sapiens*, cum lapis non sit insipiens, nec propterea sapiens. Non solum autem priuatia & infinita comparari possunt cum finitis, sed etiam inter se: quomobrem à priuatiua affirmante ad infinitam itidem affirmantem bona est